*Ignoranter desponsata, ut ancilla, suæ ingenuitati non præjudicat.* Salic.

14. Iidem AA. & CC. Aristoteli.

STatui ingenuæ ex eo solo, quod velut ancilla sponsaliorum [1] nomine data proponitur, præjudicari nulla ratione potest. S. 7. Kal. Januar.

## TIT. XV.

## COMMUNIA [2] DE MANUMISSIONIBUS.

*Si proprietarius, & usufructuarius simul libertatem servo imponant; pleno jure liber efficitur.* Salic.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

SAncimus, si proprietarius servo, cujus ususructus ad alium pertinebat, libertatem imposuerit, non secundum antiquam [3] observationem [4], & libertate carere, & eum sine [5] domino esse intelligi: sed nec inveniri personam, cui res ad se venientes acquirat. Sed si tam proprietarius, quam usufructuarius libertatem ei [consentientes [6]] imposuerint, pleno jure liberum [eum] effici: & si quid postea [sibi] acquisierit, hoc in bonis suis habere. Sin autem proprietarius solus libertatem imposuerit, usufructuario [7] minime consentiente: sit quidem ille, qui libertatem a proprietario accepit, inter libertos proprietarii connumeratus: & si quid in medio possidet, hoc sibi acquirat, sibique habeat, & suæ posteritati relinquat salvo patronatus jure, per omnia custodiendo, nisi & hoc ei legibus fuerit remissum. Ipse tamen libertus, quasi [8] servus apud usufructuarium permaneat, donec usufructuarius vivit, vel ususructus legitimo modo peremptus est. Etenim si finem ususructus quocunque modo accipiat: tunc faculras ei tribuatur, quo maluerit degere modo. Si vero adhuc superstite usufructuario ab hac luce fuerit libertus exemtus: hereditas ejus legitimum tramitem sequatur. Sin autem usufructuarius [9] tantummodo libertatem imposuerit: siquidem hoc modo, ut cedat usumfructum proprietario: plenissimum jus habeat in servo proprietarius: ut omnia ei servus acquirat secundum ea quæ generaliter in servos, & dominos constituta sunt. Sin vero gratias agendo usufructuarius eum ab usufructu liberaverit, & libertate donaverit: tunc maneat quidem servus proprietario suo annexus: sed non [10] necessitas ei imponatur, donec vivit usufructuarius, vel ususructus constare potest, observare proprietarium, & quædam ministeria [ei] adimplere, sed Judices nostri eum in quiete tueantur. Post usufructuarii autem mortem, vel ususructus quocunque modo interemptionem: tunc serviat quidem domino, & omnia, quæ in medio ad eum pervenerint, hæc suo domino acquirat. Et sit ex nostra constitutione hæc separatio inter servos & liberos: & non secundum jus antiquum idem servus remaneat, & nullum respiciat dominum.

*Parentes possunt manumittere per filios cujuscunque sexus, etiamsi non sint in potestate.* Salic.

§. 1. Illud quoque huic legi adjicimus, ut explosa antiqua personarum [11] differentia, liceat parentibus tam masculis, quam fœminis, filiis, filiabusve suis in sacris constitutis, sive emancipatis, cujuscunque gradus, mandatum [12] imponere, quatenus servos in libertatem perducant, sive [13] apud Judicem, sive in sacris [14] Ecclesiis [15], sive secundum alium, quem mandator voluerit legitimum modum. cum enim, & in [16] successionibus, & in aliis pene omnibus nulla est inter liberos discretio: oportet hoc observari, & in præsenti casu, maxime pro [17] libertate quam & fovere, & tueri Romanis legibus, & præcipue nostro nomini peculiare est. Dat. 15. Kal. April. LAMPADIO & ORESTE CONSS. 530.

*Potest manumitti, tam in Ecclesia, quam apud judicem, vel in testamento etiam infans, vel ignorans, ut sit civis Romanus.* Bald.

2. Idem A. Juliano P. P.

SI quis servo suo libertatem imponat, sive in Ecclesia [18], [sive in æde sacra], sive ad qualecunque tribunal, vel apud eum [Judicem] qui libertatem imponere legibus habet [19] licentiam, sive in testamento, vel alio ultimo elogio, directam, vel fideicommissariam; nullo coerceatur modo eorum qui ad libertatem veniunt, ætatem [20] requirere: neque enim [eum] tantummodo civitatem Romanam adipisci volumus, qui major triginta [21] annis existit: sed quemadmodum [22] in Ecclesiasticis libertatibus non est hujus ætatis differentia, ita in omnibus libertatibus quæ a dominis imponuntur, sive extremis dispositionibus, sive per Judices, vel alio legitimo modo hoc observari sancimus, ut sint omnes cives Romani constituti: ampliandam [23] enim [magis] civitatem nostram, quam minuendam esse censemus.

*Si existens sine uxore ancillam propriam in contubernam habeat, & de ejus vel sobolis libertate, vel servitute nihil disposuerit, ad libertatem post ejus mortem perducuntur.* Salic.

3. Idem A. Joanni P. P.

SI quis sine uxore constitutus, ancillam suam [24] [sub] nomine habeat concubinæ, & in eadem usque ad mortem suam consuetudine permanserit, & forsitan liberos ex ea sustulerit, sancimus omnimodo non concedi heredibus defuncti eandem, vel liberos ejus, si etiam liberos habuerit, in servitutem deducere, sed post mortem domini sub certo modo eripiatur in libertatem una cum sobole sua, si etiam eam forsitan habuerit. Ipsi etenim domino, dum superest, damus licentiam quomodo voluerit uti tam ancilla sua, quam etiam ex ea progenita sobole, [&] in suo ultimo elogio quidquid voluerit contra eos disponere, id est, quasi servos eos aliis legare, sive in servitutem heredum nominatim relinquere. Sin autem taciturnitate [25] eos præterierit, tunc post mortem ejus ad libertatem eripiantur: ut sit mors domini, libertatis eorum exordium. Hominibus etenim uxores [26] habentibus concubinas, vel libertas [27], vel ancillas habere, nec santiqua jura, nec nostra concedunt. Dat. Kalend. Nov. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS 531.

## TIT. XVI.

## DE LIBERALI CAUSA [28].

*De eo, qui filios vendidit.*

1. Imp. ANTONINUS A. Saturnino.

REm quidem illicitam [29], & inhonestam admisisse te confiteris, quia proponis *filios ingenuos a te venundatos*. Sed quia factum [30] tuum filiis obesse non debet, adi competentem judicem, (si vis) ut causa agatur secundum ordinem [31] juris. PP. 5. Idib. Februar. *

*De exceptione rei judicatæ.*

2. Idem A. Veroniano.

SI hi, quos *servos tuos esse* dicis, liberi esse a diversa parte dicentur, de statu eorum more solito quæri oportet: nec enim res judicata [32] qua de proprietate [33] eorum pronunciatum est, opponi causæ liberali potest. Dat. Non. Febr. *Romæ*, MESSALA, & SABINO CONSS. 215.

*Si liber homo alienæ ancillæ contubernium sequatur.*

3. Imp. ALEXAND. A. Quirino.

SI liber homo alienæ [34] ancillæ contubernium sequatur: licet di fuerit denunciatum [35] *ut se abstineret*, servus domini mulieris non [36] fit. PP. Non. Februar. FUSCO & DEXTRO CONSS. 226.

*De re judicata.*

4. Idem A. Jocundo.

SI is, *quem in servitutem petebas*, liber (quamvis absente [37] te) causa cognita pronunciatus est: secunda in servitutem petitio ejus dari tibi non debet. Sed si postea, quam cognovisti [38], de sententia judicis appellasti, an jure lata sit, in auditorio [39] quæretur.

*De vendita a fisco, & de onere probationis.*

5. Idem A. Sabino.

NON ideo minus in libertatem proclamare potest ea, *quam ancillam tuam esse dicis*, quod eam vendente fisco [40] comparasti. Sed [41] nec hodie ad præscriptionem operatur, quod venditionis tempore major viginti annis fuerit: cum ætatis allegatio non [42] alias pollet præscriptionem adversus civem Romanum accommodare, quam si participandi [43] pretii gratia consensum servituti dedisse probetur. † Probationis [44] sane onus, cum ex servitute in libertatem adseritur, ad se recipit: quæ si affirmationem suam non [45] impleat, inconcussum possessionis jus obtinebis.

*De eo, qui scripsit se servum esse.*

6. Imppp. VALER. & GALLIEN. AA. & VALER. A. Nobilissimus Cæs. Verismeno.

NEc si volens scripsisses [46] *servum te esse, non liberum*, præjudicium juri tuo aliquod comparasses: quanto [nunc] magis, cum eam scripturam dare compulsum [47] te esse testaris?

*Si heres veniat contra factum defuncti.*

7. Imp. AURELIANUS A. Secundo.

SI ab eo, cujus servus fuisti, manumissus es: frustra libertatis controversiam sustines, maxime [48] ab herede ejus, qui [te] manumisit: cum esti jure [49] libertas non processerit, respectu tamen aditæ hereditatis voluntatem defuncti, suo consensu firmare debuit.

1 Vide *l. 16. infr. de lib. caus.* adde *supr. si tertiæ provinciæ.*

2 Possis dicere, κοινὰ καὶ κατὰ. Hujus enim tituli constitutiones ad omne genus manumissionis referuntur: His denique Justiniani novis constitutionibus vetus jus abrogatur. 3 Nota jus vetus receptum in servis a proprietario manumissis.

4 Id est, ut ab antiquis institutum erat. Ulpian. l. 8. §. 19. § *l. 23. ff. de liberali causa.* 6 De servo consentiente proprietario simul & usufructuario manumisso, vid. *l. 15. ff. quibus mod. usufructus.* adde *l. 6. ff. de manumiss. testament.* 7 De servo a nudo proprietario manumisso. 8 Servus manumissus a proprietario, liber sit, & tamen servit usufructuario. Quo jure id fieri posse dixeris? servit ut liber. *l. 11. supr. de ingenuis.* Multum differunt, servum esse & servire. Illud juris est; hoc facti. 9 De servo a nudo usufructuario manumisso, adde *l. 2. ff. de manumiss. vindict. l. 9. supr. de usufruct.* 10 Manumissus ab usufructuario non est liber, nec tamen servit proprietario. 11 Olim filiusfamilias jussu patris manumittere poterat: jussu matris non poterat. Paul. 1. *sentent.* 13. §. 2. per emancipatos etiam non poterat pater manumittere, *ut hic* Thalelæus notat: per suos poterat. *l. 51. in fin. ff. de rit. l. 30. §. 1. ff. qui & a quib. manumiss. l. 13. ff. de jure patron. l. 16. l. 22. ff. de manumiss. l. 4. l. 10. l. 22. ff. de manumiss. vindict.* hodie jus aliud est, ut mox dicetur. 12 Parentes possunt servos manumittere per liberos cujuscunque sexus: etiam si non sint in potestate. 13 Manumissiones non tantum fiunt apud judicem, vel in Ecclesiis, sed & alio quovis modo, hoc est, testamento, codicillis, directo, vel per fideicommissum. 14 *supr. de his qui in Ecclesiis manumittuntur.* vide *Concilium Africanum* 1. 15 *l. 2. infr. h. t.* 16 In successionibus nulla est inter liberos discretio. 17 Libertas a lege & Principe defenditur. 18 *l. 1. in fin. supr. h. t. & supr. de his qui in eccles. manumitt.* 19 *l. 4. supr. de vindict.* 20 Infans etiam manumitti potest. *l. 24. ff. de manumiss.* Imo & is qui est in utero. *l. 14. supr. de statu. liber.* 21 Olim ætas hæc erat legitima civitatis Romanæ adipiscendæ: & servus ante hanc ætatem manumissus, non fiebat civis, sed Latinus, Theoph. *Instit.*



*De eo, qui nummos accepit, ut manumitteret.*

8. Impp. DIOCLET. & MAXIMIANUS AA. & CC. Verinæ.

CUm adfirmes placuisse quondam domino tuo, *ut pro te, & pro filia tua dato* [1] *nummo certæ quantitatis vos manumitteret*, & te tantummodo liberavit: aditus Rector Provinciæ hortabitur [2] eum, salva reverentia, quam patrono liberti solent exhibere, placito suo stare. Dat. Prid. * MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

*De cognomine.*

9. Iidem AA. & CC. Proculo.

CUm precum [3] tuarum conceptio licet eum, contra quem supplicas, *ex ancilla natum esse expresserit*, tamen nomini [4] cognomen, quo liberi duntaxat nuncupantur, addiderit, & non servum esse, sed servili macula adspersum comprehenderit: contra eum, qui servus non est, supplicasse te intelligis [5].

*De pactis & administrationibus.*

10. Iidem AA. & CC. Stratonico.

LIberos privatis pactis [6], vel actu [7] quocunque administrationis non posse mutata conditione servos fieri, certi juris est.

*Si servus honores gesserit.*

11. Iidem AA. & CC. Faustino.

NON [8] mutant servi statum, si ad civiles honores illicite, atque improbe adspiraverint. Unde si status moveatur quæstio, intelligere vobis licet, nihil prodesse posse, quod [9] pater vester civiles honores gessit. Solemnibus itaque ordinatis, apud Præsidem Provinciæ de statu vestro cognoscetur.

*De venditione.*

12. Iidem AA. & CC. Proculo.

SI [ex] liberta te natum aliquis comparaverit [10]: statum retines, quem antea habuisti. † Si vero ex ancilla editum naturalis pater, idemque dominus distraxerit, ac post emptori pretium solvisti: non idcirco libertatem consecutus es [11]. PP. 18. Kalend. Maji.

*De statu defuncti.*

13. Iidem AA. & CC. Paulo.

PRincipaliter de [12] statu defuncti agi non potest. Si vero ex peculio quondam ejus, quem tu bona reliquisse commemoras, res vindicentur, vel ejus filiis moveatur status quæstio: hæc omnia solenniter Præsidali [13] notione decidi debent. Dat. 5. Kalend. Maji.

*De effectu litis ordinatæ.*

14. Iidem AA. & CC. Quintiano.

LIte ordinata [14], in possessione libertatis, is, de cujus libertate quæritur, constituitur, & interim pro libero habetur. Dat. 4. Kalend. Maji, *Heraclea*, AA. CONSS.

*De probationibus.*

15. Iidem AA. & CC. Palladio.

NEc omissa professio [15] probationem generis excludit, nec falsa simulatio veritatem [16] minuit. Cum itaque ad [17] examinationem veri, omnis jure prodita debeat admitti probatio: aditus Præses Provinciæ, solennibus ordinatis, prout juris ratio patitur, causam liberalem inter vos decidi providebit.

*De minore in dotem data.*

16. Iidem AA. & CC. Diogeniæ.

SI ministerium [18] tuum quasi libera exhibuisti; ac te nesciente quasi ancilla in dotem data, conscriptum instrumentum est: nihil hæc libertati tuæ nocere potuerunt: maxime cum te minorem ætate fuisse commemores, & placuerit minores [19] viginti annis nulla ratione mutare statum [posse,] ac pro liberis servos fieri: ne ante [20] libertatem inconsulte amittant, quam alii propter ætatis rationem sine consilio præstare non possunt. PP. 6. Id. Maji, *Hadrianop.* AA. CONSS.

*Si quibusdam ex pluribus fratribus quæstio moveatur.*

17. Iidem AA. & CC. Refino.

MUltis rationibus natalibus ingenuis fratribus natis, post delictis, vel casibus intervenientibus, singulorum causæ status separantur. Nihil itaque prohibet eundem, & tibi non [21] movere quæstionem [status] & eos, quos fratres tuos adsereras, in servitutem vindicare, sive retinere. Igitur ad demonstrandam fratrum tuorum libertatem, aliæ sunt probationes necessariæ: nam quod [22] tibi non moveatur quæstio libertatis, eorum non idoneam constat habere probationem.

*De locatione.*

18. Iidem AA. & CC. Zotico.

AD probationem ingenuitatis ab eo, contra cujus successores postulas, facta tibi [23] locatio non sufficit: nec [24] tamen hoc solum ad servitutis vinculum argumentum est idoneum. S. Id. Jul. *Philippopol.* AA. CONSS.

*Si ab alio manumissus, ab alio servus dicatur.*

19. Iidem AA. & CC. Paulo.

PRincipaliter causam ejus, de quo supplicas, esse, quam tuam perspicimus: nam cum te eum ad libertatem perduxisse profitearis, illius intereſt [25] magis solenniter suum tueri statum: & consequenter [26] tua etiam agetur causa: nam si ab eo contra quem fundis preces, servus dicatur, eique libertas ex manumissione tua vindicetur: probatio servitutis originis, & beneficium manumissionis libertatem illi adsignans, tuum etiam jus patronatus tuetur. Si vero consentiat servituti, tunc jure concesso, adito Præside Provinciæ, eum invitum etiam defendere poteris.

*De libertate non revocanda. De his quæ non manumittendi causa fiunt.*

20. Iidem AA. & CC. Æternali.

SIcut [27] semel præstitam libertatem revocari [28] non licet: sic per ea quæ non [29] manumittendi causa domini cum servis [propriis] agunt, nihil sibi detrahunt. S. 6. Kal. Septembr. AA. CONSS.

*Esse in possessione servitutis vel libertatis.*

21. Iidem AA. & CC. Thrasyllæ.

EAm, quæ in possessione [30] libertatis non sine dolo [31] malo reperitur, in servitute constitutæ simile [32] habere præjudicium, Edicto Perpetuo cavetur. [Sed] si controversia erit, utrum ex servitute in libertatem petatur, an ex libertate in servitutem, sui [33] concepione manifeste probatur: nec quicquam juris ancillæ dolus propriis dominis aufert. S. Non. Octobr. *Sirmii*, AA. CONSS.

*De natalibus, & de confessione.*

22. Iidem AA. & CC. Pardalæ.

PArentes, natales [34], non confessio adsignat. Quapropter si ex ancilla nata, post ad libertatem manumissa pervenisti: te [35] *servum professa* [36] velut ex ancilla altera natam, hujusmodi simulatione [37] vel errore quæsitam manumissione libertatem amittere minime potuisti: cum servi [38] nascantur ratione certa, non confessione constituantur. Dat. 5. Kal. Decembr. AA. CONSS.

*De obsequio præstito.*

23. Iidem AA. & CC. Muscliæ.

SI tibi testamento directa libertas a domino relicta est, & ex eo successerunt scriptæ [filiæ] [39]: non idcirco quod secundum ejus voluntatem, vel contra, de filiabus [40] uni præstas obsequium [41], cæteræ filiæ tuam rescindere possunt libertatem.

*De confessione apud acta.*

24. Iidem AA. & CC. Sebastiano.

INterrogatam, & professam apud acta *se esse ancillam*, hujusmodi factum defensionem libertatis non excludit [42].

*De instrumentis manumissionis.*

25. Iidem AA. & CC. Licentiano.

SIcut instrumenta [43] præternissa [44] manumissionis recte factæ nullum adferunt præstitæ libertati præjudicium [45]: ita si servum ad libertatem perduxisti, instrumentorum amissio nihil ei nocere potest. S. 5. Id. Februar. CC. CONSS.

*de libert.* Ulp. 1. §. 12. *l. 39. §. 2. ff. famil.* adde *l. ult. ff. de reb. dubiis. l. 46. ff. de manumiss. testam. l. 13. in fin. ff. de ff. dubiis.* 22 Extrinsecus juris ecclesiastici ad commune. 23 Amplianda magis respublica, quam minuenda. 24 Ancilla domini concubina ejusque liberi, morte & silentio domini fiunt liberi. adde *Novell. 78. c. 4.* 25 Silentio libertas conferri potest. 26 Concubinam uxori superducere non licet. vid. *l. un. supr. de concub.* 27 *Al.* liberas.

28 *L. 40. D. 12. & 4. C. Theod. §.* Paul. 5. *sent.* 1. 29 Res illicita & inhonesta patri, liberos ingenuos venidere. vid. *l. 1. §. de patribus qui filios suos distraxerunt.* adde *l. 26. §. de transactionib.* adde Paul. 5. *sent.* 1. §. 1. 30 Pater venditos a se filios invito emptore, oblato tamen pretio, poterit evincere: ut ita fieri fit, altero invito, præstere & a contractu fuo recedere, fuumque factum retractare interdum ipse possit: qui cafus specialis est. 31 Per adfertorem. Hodie adfertionis solennes sublata. *l. 1. infr. de adsert. tollend.* 32 *l. 25. §. 1. ff. h. t.* 33 Alia est proprietatis causa, alia libertatis. 34 Contubernio ancillæ alienæ, liber homo non transit in alterius dominium. 35 Protestatio jure non munita, nullam vim obtinet. *Bald.* 36 Vid. *l. 1. infr. de SC. Claudiano.* 37 Sententia liberalis ferri potest absente parte: potest tamen ab ea appellari. 38 Tempus appellationis interponendæ non currit ignoranti. *l. 3. infr. quando & quando judex.* 39 Causæ appellationum in auditoriis pensantur. 40 Vendita mulier, etiam a fisco, in libertatem proclamare potest. 41 Ratio dubitandi. 42 *l. 7. ff. de l. l. ff. quib. ad libert. proclamare.* Ex constitutione Leonis 69. liber homo seipsum vendere non potest, etiam participandi pretii causa. 43 Quemadmodum id fieri potuit, dixi ad *dict. Nov.* 69. 44 Dixi ad *l. 7. §. ult. ff. h. t.* 45 *l. 4. supr. de edendo.* 46 Vide *l. 39. infr. h. t.* adde *l. 26. supr. de transact.* 47 Paul. 5. *sent.* 1. §. 4. 48 Cur ita? vid. *l. 31. ff. h. t. l. 3. supr. de reb. alien. l. 13. supr. de testam. manumiss.* 49 Directo scil. *l. 9. supr. de testam. manumiss.*

1 Id est, data summa aliqua pecuniæ. 2 Hortandus est dominus, ut servet pactum cum servo suo habitum. vid. *l. 9. in fin. supr. de cond. ob caus.* 2. *Feud. ult.* id est, cogendus est moderate, ut hortationi nonnihil sit immixtum necessitatis. Ideoque Græci ficte legunt, ἀναγκάζεται. 3 Confessioni & libello supplicantis in ejus præjudicium, non in favorem statur. 4 Cognomen liberis hominibus usurpare licuit, servis non licuit, sic apud Athenienses decreto fancitum fuit: Ne fortissimorum virorum nomina, Harmodii scil. & Aristogitohis, qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorsi erant, unquam servis indere liceret. Netas enim ducebant nomina libertati patriæ devota, servili conagio pollui. Gell. 9. *cap.* 2. Hinc etiam colligitur, Libertos nomen patroni assumpsisse, suoque (quod unicum ante habebant) cum prænomine adjunxisse. Eo alludens Persius, *verterit*, inquit, *hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama.* Idem testatur Artemidorus *lib. de somniis.* 5 Contrarius sibi ipsi testis non auditur. vid. Oldendorp. *cap.* 7 *n.* 1. *de testibus.* 6 *l. 37. ff. h. t.* Goth. Ad hanc legem vid. Alciat. *lib.* 2. *paradox. cap.* 5. Augustin. *lib.* 5. *emendat.* c. 8. Cujac. *lib.* 5. *obs. c.* 40. S. I. 7 *l. 2. supr. de ingenuis manumiss.* Cujacius legit, vel *actus cujuscunque administrationis*, ita nuoque Græci legunt. 8 *l. 28. l. 38. l. 3. h. t. l. 10. supr. de probat. l. ult. l. 3. ff. servus aut libert. lib.* 10. *tit.* 32. *l. 3. ff. de off. pretor.* his adde quæ scripsi ad *Novell.* 117. c. 11. ad eundem modum Tertullianus *lib. de præscript.* originis & successionis Apostolicæ jactatores, negat continuo Apostolicos esse, & tamen recte cum hujusmodi hominibus ab ignorante contrahitur. *argum. l. 3. ff. de SC. Macedon.* 9 Vid. *l. 11. ff. ad l. Falc. de legatis.* 10 *l. ult. supr. de fugit. lib.* 11. *tit.* 63. 10 *l. 4. §. 2. ff. de manumiss.* 11 Imo confesui debet. *l. 1. §. h. t.* 12 *l. 7. de statu defuncti.* 13 *l. 3. l. 7. ne de statu defunct.* 14 Vindicæ dantur secundum libertatem. *l. 24. 25. §. ult. ff. h. t. l. 1. supr. quæ dare iuter. l. 2. §. 24. ff. de orig. jur.* adde *l. 21. infr. h. t.* dixi ad leges 12. tabular. *tit.* 22. §. 2. de ordinatione litis. vid. Cujac. 18. *obs.* 23. 15 *l. 39. infr. h. t.* hoc itaque referendum videtur ad professiones natalium, de quibus dixi ad *l. 6. supr. de fide instr.* 16 Falsa simulatio veritatem non minuit, *ut hic*, & *l. 5. supr. de pur. & fact. ignor. l. 6. ff. ad municip.* 17 Ad examinationem veri, omnis judex probatio admittenda. 18 Liber ministerium alteri exhibere potest. *l. 2. 6. & 11. supr. de fide instrum.* 19 *l. ult. supr. de ingenuis manumiss.* 20 *l. 5. supr. h. t. l. 7. §. 1. ff. h. t.* 21 Adulterium est ut quis ultra libertatem suam amittere possit ea ætate, qua alii libertatem conferre non potest. 22 *l. 7. supr. de ingenuis. l. 17. supr. de probat.* 23 *d. l. 17.* 24 Etiamsi servus rem aliquam a domino conducit, non ideo fit liber. 25 Facit *l. 22. supr. de probat.* 26 Causa dicitur principaliter pertinere ad eum cujus magis interest. *Bald.* facit *lex* 3. 4. 5. *ff. vodem.* 27 *d. l. 5.* 28 Semel præstita servo a domino libertas, amplius ab eodem domino revocari non potest, *ut hic. Synopf. Basil.* 48. *tit.* 20. *cap.* 20. Nihil difficilius revocatur quam libertas. *l. 26. infr. h. t.* 29 Vid. *l. 24. §. 8. ff. de fideicomm. libert. l. 17. §. 1. ff. qui & a quib. manum.* 30 *l. 14. supr. h. t. l. 4. supr. ubi caus. stat.* 31 *l. 7. §. 5. vers. Etsi. ff. h. t. l. 15. supr. de prob.* 32 Paria sunt in servitute constitutum esse, & dolo malo in possessione libertatis esse. 33 *l. 22. in fin. J. de evict.* 34 Parens is proprie est ac vere, ex quo nos genitti, non qui nos filios ac liberos appellat. Parentem enim natales faciunt, non confessio, *ut hic*, hac ratione servi nascuntur: confessione non constituuntur. *in fin. infr. vodem.* Quod autem hic dicuntur *natales nobis parentem adsignare*, nihil aliud est, quam nos eam sortiri conditionem quam parens habuit cum ei nasceremur. Ceterum non ut natalibus nostris continuo, vel liberi, vel servi dicimur: ita natalibus patris, liberi continuo videmur. *l. 10. supr. de probat.* Goth. Vid. hic. Brisson. *lib.* 1. *selectarum cap.* 5. §. I. 35 *Te velut ex altera natam ancillam, servum professa quæsitam manumissione libertatem, hujusmodi simulatione, vel errore amittere &c.* quisnam ita legunt. 36 Mutatio hæc multiplex. Ancilla nata ex Archonta, manumissa est: manumissa postea fe ancillam quasi ex Dorcade confessa est, hujusmodi confessio sive simulationem voces, sive errorem, quæsitam semel manumissione libertatem non eripit. 37 *l. 15. supr. h. t.* 38 Servitus confessione nuda non contrahitur, sed vel natura, *ut hic*, vel lege. 39 *Scripti*, ita legitur *in libris Basilicis.* 40 *Filiis*, *libri Basilicon.* 41 Ex obsequio uni hæredum præstito a servo libertate donato, præjudicium libertati non fit. vid. *l. 2. supr. h. t.* 42 Si modo metu & impressione alicujus terroris confessio apud acta facta sit. Paul. 5. *sentent.* 1. §. 4. alias confessio apud acta præjudicat, doneq contrarium probetur. 43 Facit *lex* 10. *in fin. supr. de fide instr. l. 14. supr. de jure deliberandi.* 44 Mos fuit apud veteres manumissis instrumenta manumissionis tradere, *ut hic*, & *l. 26. J. h. t.* eadem status instrumenta appellari puto *in l.* 8. §. 1. *ff. quod met. caus.* 45 *Verum*: quidam ita legunt, eamque lectionem Græci probant, apud quos legitur ἀκάθαρτον. Cujac. 18. *obs.* 22.

De

*De libertate non adimenda, de instrumento manumissionis.*

26. Iidem AA. & CC. Modesto.

SIcut datam libertatem manumissis adimere [1] patronus non potest: ita manumissionis [2] instrumentum præstare cogitur.

*De re judicatâ, de collusione & confessione ejus qui controversiam passo successit.*

27. Iidem AA. & CC. Austerio.

ARrianus mota sibi quæstione a Leonide, *liber fuit pronunciatus* [3]: in servitutem a victo iterum non recte petitus est. Coheres [4] etiam tibi ab Arriano datus, colludens cum eo, sive heredibus ipsius qui status [ei] moverat quæstionem, nihil tibi obfuit: nec ea, quæ in confessione inter eos venerunt, statum veritatis, vel nomen substantiæ defuncti mutare potuerunt.

*De statu & dignitate parentum.*

28. Iidem AA. & CC. Eurymedonti.

AVi paterni magistratu functi dignitas [5], ad libertatis probationem nihil nepoti prodest: si quidem in liberali causa matris [6] non patris inspicitur conditio. Sed nec materni [7] avi sola sufficit: cum licet avia quoque libera probari possit, multis tamen ex causis status mutari consuevit. *Sirmii*, 4. Id. April. AA. CONSS.

*De redempta ab eo, in cujus fuit contubernio.*

29. Iidem AA. & CC. Troillæ.

DE ancilla matre natam, & ab eo redemptam, in cujus fuit contubernio [8], si non manumittitur, in servitute permanere non ambigitur.

*De obsequio non præstito.*

30. Iidem AA. & CC. Eutychiæ.

SOlo obsequii [9] non præstiti velamento, data libertas rescindi non potest.

*De quæstione improbe mota.*

31. Iidem AA. & CC. Cassianæ.

SI tibi servitutis improbe moveatur quæstio: solennibus ordinatis, de calumnia [10], vel injuria (prout vindictæ viam elegeris) habita contestatione, posteaquam servus non esse fueris pronunciatus, adversus eam sententiam postulare potes: tunc demum etiam de his, quæ direpta probaveris, restitutionem (cum pro libertate fuerit pronunciatum) petiturus. S. 5. Id. Octobr. CC. CONSS.

*De subscriptione filiorum domini manumittentis.*

32. Iidem AA. & CC. Athenaidi.

SUbscriptio [11] filii [12] domini manumittentis, nec addere secuta, nec omissa detrahere libertati quicquam potest.

*De eo, qui acceptâ pecuniâ manumisit.*

33. Iidem AA. & CC. Melitianæ.

LIcet accepta [13] pecunia dominus te manumisit; tamen tributa libertas rescindi non potuit. S. 4. Id. Novembr. CC. CONSS.

*De concubinatu.*

34. Iidem AA. & CC. Eremoniæ.

LIbera, concubinatus ratione non constituitur ancilla [14]. Dat. Id. Nov. CC. CONSS.

*De eo, qui pupilli res velut tutor administravit.*

35. Iidem AA. & CC. Attalo.

NOn idcirco minus, quod pupilli res velut [15] tutor administrasse dicitur, ex ejus persona servitutis pati quæstionem potest.

*De pactis.*

36. Iidem AA. & CC. Theodoro.

POst [16] certi temporis ministerium ancillæ, *liberam eam esse cum ea pacifcendo*, conventionis obtemperandi legi domina nullam habet necessitatem: utque hoc verum est, ita [17] e contrario, si filios suos constituta cum his, libera [18] in ministerium tibi tradere promisisse [19] probetur, parere placitis non compellitur.

*De venditione hominis liberi.*

37. Iidem AA. & CC. Olympio.

SI filium [20] tuum liberum genero vendidisti [21]; qui tam proxima [22] necessitudine conjunctus, conditionis ignorantiam simulare non potest, utrisque [23] sociis criminis accusator deest.

*De Limenarchis.*

38. Iidem AA. & CC. Philesarpho.

NOn [24] idcirco minus, quod te *Limenarcha* [25] creato nemo contradixit reipublicæ nomine, moveri tibi status quæstio potest. Dat. 16. Kal. Januar. *Nicomed.* CC. CONSS.

*De professione.*

39. Iidem AA. & CC. Potesentico.

LIberos *velut servos se profitentes* [26], statum eorum mutare non posse constat. S. 6. Kal. Januar. *Sirmii*, CC. CONSS.

*De altera parte absente.*

40. Exemplum sacrarum literarum AA. & CC. ad Verutum.

JUxta Edicti nostri continentiam [27] in liberalibus quoque negotiis, sive de libertinitate, sive de ingenuitate [quæstio] moveatur, absente [28] nihilominus una parte causam discuti, & pro justitiæ ratione sententiam proferri, nihil prohibet.

*De epistolis.*

41. Impp. CONSTANTIN. & LICINIUS AA. ad Eutychium Præsidem Cappadociæ.

JUbemus omnes epistolas [29] actricis, quas ad Ælium *tanquam* [30] *principalem* [31] fecerat, inanes ac vacuas esse, atque in irritum devocari: ac de ingenuitate ejusdem Ælii requiri: nec mulieri id obesse, *quod ad eum tanquam decurionem* [32] *ac principalem scripsisset*, vel id, quod idem se finxerit decurionem, vel principalem: maxime cum non solum testium professione, & cognationis ejus jugum servile cognoscitur, verum etiam voce [33] propria ejusdem Ælii apud aliud [34] judicium patuerat, quod apud civitatem servilis videretur.

*De filiis natis ante, vel post litem contestatam super statu matris.*

42. Imp. CONSTANT. A. ad Maximum P. P.

PLacuit eos, qui nascuntur matrum [35] conditionibus uti, quarum mox [36] visceribus exponuntur. Ante [37] vero litem nati, suo nomine omnes in quæstionem vocentur: quoniam hos solos, qui in [38] lite nati erunt, omnem fortunam matrum complecti oportet, aut justis tradi dominis, aut libertate cum lucis [39] auctoribus frui. Dat. Prid. Id. Julii.

## TIT. XVII.

## DE ADSERTIONE [40] TOLLENDA [41].

*Qui de possessione libertatis in servitutem provocatur, per procuratorem potest respondere.* Salic.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

LItes super servili conditione movendas, ad clementiorem tam examinationem, quam terminum transferimus: jubentes, si quis vel adhuc serviens liberum se esse dixerit, vel in libertate commorans, ad servitutem vocatus fuerit: adsertoris difficultatem in utroque casu cessare [42], ipsumque per se [& ] ad intentionem ejus, qui dominum sese adserit, respondere: & si ex possessione libertatis ad servitutem ducitur, etiam procuratorem dare minime prohiberi: quod his, qui ex servitute ad libertatem profiluerint, penitus interdicimus: illis legibus, quæ dudum & secunda [1], & tertia [2] vice adsertorias lites examinari præcipiebant, in posterum conquiescentibus: cum sit justum primam definitionem in suis manere viribus, cum provocatio nulla oblata fuerit: qua porrecta ad similitudinem aliorum negotiorum judex, ad quem res ex provocatione deducitur, eam examinabit: cujus & ipsius judicium ad secundam exquisitionem minime deducetur occasione legum, quæ super adsertoriis litibus positæ sunt. §. 1. Super peculio [3] etiam eorum, vel aliis rebus, aut causis veterem defensionis observationem tollimus: præcipientes illorum tantummodo peculia, qui ex possessione servitutis super libera conditione litigant, aliasque res, quæ vindicantur, in tuto pro dispositione judicis collocari. §. 2. Omnes vero, qui pro libertate pericitantur, si quidem possunt fideiussorem dare, eum exigi. Sin vero revera datio ejus impossibilis eis sit, hocque judici manifeste ostendatur: juratoriæ cautioni committi. Scientes, quod si post hujusmodi expositionem abfuerint, & Edictis citati [4], in absentia nihilominus per unum annum duraverint, omnimodo servituti obnoxii erunt, & ejus dominio, qui litem eis intulit, sine ulla dubitatione adsignabuntur. §. 3. Scire vero eos volumus, qui aliquem ad servitutem vocant, quod si post primam accusationem in quocunque judicio, vel ex divali jussione factam, & [post] admonitionem ei oblatam, qui servus esse dicitur, in alio [5] judicio eum accusaverint: præterquam si ejus occasionem ipse, qui servus esse dicitur, præstiterit: etsi domini sint, suo jure privabuntur. Dat. 3. Id. Decemb. Dom.

*Si it, qui de servitute proclamat in libertatem, moriatur lite pendente, finitur causa.* Salic.

2. Idem A. Joanni P. P.

EXpeditam antea quæstionem, in præsenti autem ex nostra lege, quam de adsertione tollenda posuimus, in quandam difficultatem incidere periclitantem, compendioso remedio fulciendam esse censemus. Cum etenim per adsertores super libertate judicium agitabatur, si in medio, adsertore litem agente, adsertus ab [hac] luce fuerat [6] subtractus, necessitas imponebatur nihilominus adsertori litem implere: ut emptor, si victus erat, & pro libertate fuerat pronunciatum, habeat regressum adversus venditorem: ut ei, quasi liberæ personæ venditor reddat id, quod emptionali [7] instrumento continebatur, vel [8] natura contractus exigebat. In præsenti autem, quia adsertorum vana nomina rejecta [9] sunt: si persona, pro cujus conditione lis agitur, mortua fuerit: quemadmodum judicium potest adimpleri, una [10] tantum persona in judicium veniente? Sancimus itaque in præsenti casu licentiam esse emptori adversus suum auctorem venire, quatenus vel ostendat [11] venditor servum se vendidisse: vel si non [12] potuerit, quasi libera persona vendita, evictionis periculum ad eum revertatur.

## TIT. XVIII.

## QUIBUS AD LIBERTATEM PROCLAMARE [13] NON LICET: ET DE REBUS EORUM, QUI AD LIBERTATEM PROCLAMARE NON PROHIBENTUR.

*Si venditus non est pretium participatus, in libertatem se proclamat, alias secus.* Salic.

1. Imp. GORDIANUS A. Proculo.

DIspar [14] causa est ejus, qui dissimulata conditione sua distrahi se passus est, & ejus, qui pretium participatus est. Nam superiori quidem non denegatur libertatis defensio: posteriori autem, & si civis Romanus sit, & participatus est pretium, libertas denegatur. † Eandemque [&] in eo distinctionem adhibendam, cui [15] fideicommissaria libertas debetur, meritissimi [16] juris auctores responderunt. PP. Kal. Maji, GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

*Servi effecti propter delictum insigne, non possunt in libertatem proclamare.* Salic.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Melanæ.

DE latronum familia [17] descendentibus, ex largitione principali [18], vel auctoritate fiscali servis factis, retro principes libertatem denegari decreverunt.

3. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maximum P. P.

SI quis [19] in libertatem proclamaverit, id, quod apud se esse ajus, qui se dominum dicit, profitebitur, quoniam non de eo dubitatur, *reddi* [20] *ac deferri* Judex protinus pronuntiabit. † Quod vero petitur, si fuerit negatione dubium [21], per cautionem conservabitur ac petitio differetur: ut si fuerit approbata libertas (quoniam & ipsis, qui his rem commiserunt, medendum est) gestarum rerum ab eodem ratio, atque omne, quod debetur, reposcatur: ut servitute depulsa, qui pro domino quondam fuerat, habeat, quod ut servo dominii jure largitus est, & quæ ex earum rerum quæstu ac fructibus congregata sunt, & quæ de furtivis compendiis obscure capta ac parata sunt; cum liberum esse non oporteat, quod apud servum dominus peculii nomine collocaverat. Ea vero, quæ testamento, vel donatione quæsita sunt, aut quæ ex earum rerum emolumentis empta confectaque sunt, eidem ingenuo deputentur: quæ tamen universa exacto libertatis judicio, quatenus a supradictis rebus discernuntur, in sequestro [22] esse oportet: ut his ab utroque deductis, atque in medio [23] collocatis, ad eorum proprietatem uterque contendat. Dat. 15. Kal. Mart. *Thessalonicæ*, SEVERO & RUFINO CONSS. 324.

## TIT. XIX.

## DE ORDINE [24] COGNITIONUM [25].

*Pendente lite super statu, non potest servus de crimine suum accusare adversarium.* Salic.

1. Imp. ALEXAND. A. Vitalio.

CUm & ipse [26] confessus es, *status te controversiam pati*: qua ratione postulas, priusquam de conditione constaret tua, accusandi [27] tibi tribui potestatem contra eum, qui te servum esse contendit? Cum igitur (sicut allegas) statu tui generis fretus es: juxta jus ordinarium Præsidem [28] pete, qui cognita prius [29] liberali causa, ex eventu judicii, quid de crimine [30] statuere debeat, non dubitabit. PP. Id. * MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

*De libertate prius, quam de hereditate cognoscitur, si de ea principaliter quæratur: secus si incidenter, & de hereditate principaliter.* Salic.

2. Idem A. Gallo.

SI de hereditate [31], & libertate controversia est, [prius [32]] agi causa libertatis debet: Sed si de hereditate agetur: ordinanda prius quidem est causa libertatis: sed sufficit [33] ei, qui libertate utitur, ad victoriam de hereditate secundum eum esse pronunciatum. PP. 5. Idib. August. MAXIM. II. CONS. 224.

*Quando pœna delicti dependet a statu, quæstio status est prius determinanda.* Bald.

3. Idem A. Valerio.

SI [34] crimen aliquod inferatur ei, *quam ingenuam esse dicis*, ante liberalis causa suo ordine agi debet, cognitionem suam Præside præbente: quoniam necesse est ante sciri, si delictum probatum fuerit, [utrum [35]] ut in liberam, & ingenuam, an ut in ancillam constitui oporteat [judicium].

*Si sit quæstio de statu accusati, prius de statu debet cognosci, quam super crimine pronunciari.* Salic.

4. Imp. GORDIANUS A. Menedemo.

SI status controversiam pateris, lite prius liberali terminata, si pro te fuerit pronunciatum, agere etiam adversus eum, qui se dominum tuum esse contendit, non prohiberis. Quod si ideo te ab accusatione [36] elidat, quasi servum non proprium, sed alienum: liberale quidem judicium cessat, causæ autem examinatio apud eum, qui judicat, ostendet, utrumne accusatio induci debeat propter statum personæ, an evanescat. Dat. 10. Kalend. Decembr. GORDIAN. A. & AVIOLA CONSS. 240.

*Quæstio, vel exceptio status impedit eum, de cujus statu quæritur, actiones movere vel exercere, prius quam de statu fuerit cognitum.* Salic.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Alpheno.

CUm status quæstionem tibi moveri, & te debita [37] velle petere commemores, ordinarium est, prius solennibus interpositis (si hoc juris admiserit ratio) causam liberalem apud Præsidem provinciæ decidi: ut si liber fueris, vel servus non esse pronunciatus, tunc tibi jure debita restitui jubeat: cum hoc incerto, utrumne tibi libero constituto an domino tuo (si servum te sententia declaraverit,) debeatur, ad solutionem debitorem tuum urgeri non oporteat. S. Prid. Kalend. Maji, *Beraci*, AA. CONSS.

*De rebus raptis ab his, quos servos tuos contendis, non prius quæritur quam causa servitutis & libertatis decisa fuerit.* Salic.

6. Idem AA. & CC. Alexandriæ.

SI res tuas raptas [38], vel amotas [39] esse dicis ab his, *quos servos tuos esse contendis*, hique in libertatem proclamaverint: causa liberalis prius adversus eos, & tunc damni dati, rerumque amotarum lis apud Præsidem provinciæ contestanda est: ut si quidem liberi, vel servi non esse pronuncientur, tunc demum damni dati, & amotarum rerum

1 *l.* 20. §. *h. t.* 2 *l.* 25. §. *h. t.* vide quæ notavi ad *l.* 9. *ff. de novationibus.* 3 Liber pronunciatus ab adversario nunquam in servitutem peti potest: ab alio posse videtur, *arg. l.* 63. *ff. de re judic.* 4 Coheredis confessio super statu defuncti non præjudicat coheredi contrarium adserenti. *Salicet.* 5 *l.* 10. §. *de probationib.* facit *l.* 11. §. *h. t.* 6 In libertatis causa, matris non patris inspicitur conditio, *ut hic*, & *l. ultim. ff. eodem.* In nobilitatis causa contrarium hodie observatur. vide quæ dixi ad Ulpian. §. 8. 8. 7 Avi paterni vel materni ingenuitate nemo probatur omnino esse ingenuus. 8 Qui ancillam redimit ut ea concubina utatur, eam non liberat. *l.* 34. *ff. eodem.* vid. tamen *l. ultim.* §. *comm. de manumiss.* 9 Non necessitari, aliud si alimenta denegant. *l.* 6. *ff. de agnosc. lib.* 10 Qui per calumniam dicitur servus, probata causa liberali potest injuriarum experiri. *l.* 39. §. 1. *ff. h. t.* vid. *l.* 9. *l.* 10. *l.* 11. *de injur.* 11 Tenet manumissio a domino facta, licet manumissionis filius non subscripserit. 12 Puta heredi. *l.* 13. §. *de testament. manumiss.* 13 Dominus accepta pecunia potest servum manumittere, *ut hic*, ut pater filium. *l.* 107. *ff. de verborum obligat.* dicendum alias videbatur manumissionem gratuito fieri, vel omnino non fieri. 14 *l.* 29. §. *h. t.* v. *l. unic. l. de SC. Claud.* 15 Pupillus tutorem quondam suum, servum potest dicere: id est, Etiamsi servus titulum domini administraverit, non tamen efficitur liberius. 16 Pactum inter dominum & ancillam non addringit. *l.* 13. *in fin.* §. *de transact.* Igitur ex pacto libera non erit, quæ se liberam pacta fuerit, cum ancilla esset: quemadmodum per contrarium ei quæ cum filiis est libera, pactum non nocet, quo se ancillam esse pacta est. *Synopsis Basil.* 48. *Tit.* 26. *ex tit.* 26. *c.* 34. 17 Vid. *l. eodem.* 18 *Cum eadem libertate &c.* ita emendo, hoc nimirum sensu: Servus cum domino stipulari non potest, ut certi temporis ministerio alicui exhibito fiat liber: ita nec filius, ut certi temporis obsequio alicui exhibito emanciperetur. Priori pacto dominus non tenetur. & ita quadrat comparatio: nisi malis ita cum Cræcis, Ancilla pacto non fit libera. Libera pacto non fit serva. 48. *Eel.* 20. c. 34. vel melius dic: Pacto non potest effici, ut post certi temporis ministerium fiam liber: & vice versa, pacto non potest effici, ut post certi temporis ministerium fiam servus una cum liberis meis, & priori pacto adversus te agere non possim: & posteriori adversus me vel liberos meos agere non potes. 19 *l.* 1. §. *h. t.* 20 *l.* 1. §. *h. t. l.* 1. §. *de patrib. qui filios adsravernt.* 21 Qui sciens liberum hominem vendit, plagium committit. 22 Inter proximos & cognatos præsumitur friendia. vid. *l.* 7. §. *de in integrum restitut. min.* 23 Participes ejusdem criminis invicem se non excusant. *l.* 16. *in fin. ff. de quæstion.* 24 Vid. *l.* 11. §. *h. t.* 25 De limenarcha dixi ad *l.* 4. *ff. de fugitivis* l. 18. §. 10 *ff. de muneribus.* 26 *l. l. l.* 15. *l.* 22. *l.* 24. §. *h. t.* apud officium aliquod fellicet. vid. Paul. §. *sent.* 1. §. 3. 27 Id est, formulam, tenorem. 28 *l.* 4. §. *h. t. l.* 27 §. 1. *ff. h. t. l.* 1. *l.* 2. §. *tit. prox.* 29 Epistolis ingenuitas probatur. *l.* 22. §. *de agricol. lib.* 11. *tit.* 67. fed & consanguinitas. *l.* 13. *supr. de probat.* licet adversus epistolam contrarium possit probari, admittitur enim probatio per testes, per cognatos: imo propria confessio admittitur. *l.* 29. §. *de probat.* 30 Si dominus ad servum tanquam ad principalem civitatis literas dederit, non ea ratione liberum facit. 31 Principales de quibus his, & *l.* 42. §. *de decurionibus. lib.* 10. *tit.* 31. *l.* 5. *in fin.* §. *de cohort. lib.* 12. *tit.* 58. *l. unic. in fin.* §. *de imponenda lucrativa descript. lib.* 10. *tit.* 55. *l.* 4. *C. Theod. de extraord. sive indulti muneribus. lib.* 11. Hidor. 9. *Etymol.* 4. decurionum primi, a quibus distributionem omnium forma procedit. *C. Theod. de iis quæ ad. vel off. pub. ger. l.* 4. *C. Theod. de extraord. muner.* Hos intelligit Tertullianus *lib. de corona*, *Coronatur*, inquit, & *unigus nam ex principatuum progratatum* (lege *promotionum*) *exultatione.* Illic tamen nonnulli interpretantur principum nativitates. Hi erant decem vel quindecim vel viginti pro curiarum amplitudine. Inde *decem primi curiales*, *l.* 2. *in fin. Cod. Theod. de quæst. l.* 44. *l.* 47. *Cod. Theod. de his, quæ super vitat. l.* 39. *C. Theod. de episcopis & clericis.* Eidem *vari principali.* Apulejus 8. *de Asino*: *principales civitatum* dicuntur. *l.* 27. §. 1. *ff. de pœnis.* l. 2. §. 1. *ff. quando & quibus quarta pars lib.* 10. *tit.* 34. Firmicus 5. Mathes. 2. Salvianus 5. *de vero Dei judicio.* Hinc *principales Antiochenses*, *l.* 2. *l. de excusat. mun. lib.* 10. *tit.* 47. *Alexandini principales*, *l.* 56. *l. de decurionib.* qui & *summates ordinis Alexandria*, *l.* 57. *d. tit.* 32 Si dominus ad servum tanquam ad decurionem litteras miserit, eum liberum non facit. 33 Voce propria condemnari, damnatio maxima est. 34 Confessio facta in eo judicio, nocet in alio. 35 *l.* 23. §. *h. t. l.* 7. §. *de res vindic.* Goth. Vide his Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 17. *num.* 23. Anf. 36 *Partus*, visceum matris portio. 37 De liberis ante litem natis. 38 De liberis post litem natis, vide *l.* 10. *ff. de usurris.* 39 Id est, cum parentibus. sunt enim nobis parentes lecis autores.



1 Hodie igitur liberale judicium iterari prohibetur sublatis adfertoribus profusioris: id est, his, quæ dicis causa instituebantur, non strenua opera: alias retractatio cauix, veluti ex oratione Divi Marci non est sublata. *l.* 1. §. 3. *ff. ne de statu.* 2 Proclamatio in libertatem, *prædicium*, ob id dicta, quod iteraretur terque quaterque. Martialis 1. *epigramm.* 53. *si terque quaterque clamitaris.* Apud Græcos in hac lege est ἐν τῇ τρίτῃ, ἢ ἐν τῇ τετάρτῃ: servitus non iteratur. *l.* 4. *supr. de liberali causa.* 3 Pecunia bonave ejus, qui de statu suo litigat, sequestro non debent deponi, nisi ex servitute proclamaverit in libertatem, quod intelligo ex *l.* 3. *l. tit. proxim. & l. ult. l. de ordine cogn.* 4 Is, qui servus dicitur, ob solum contumacem servus pronunciatur: cum tamen in omnibus aliis causis contumax, si bonum causam habuerit, vincere soleat: idque fit ob causam perjurii. *l.* 41. §. *de transact.* 5 Apud quem status controversia incepta, apud eundem finitur: alias, qui servum vindicat, cauta cedit. 6 Si servus venditus ante litem contestatam in causa liberali moritur, non debetur evictio: si post, debetur, nisi venditor doceat de dominio. 7 Emptionale instrumentum. 8 Evictio pacto debetur, vel natura contractus. 9 *l.* 1. §. *h. t.* 10 Judicii forma destruitur, si unus litigantium principalis de medio subtrahitur. 11 Venditor non præsumitur dominus nisi probet. 12 Præsumitur liber, qui pro servitute dominus nisi probet.

13 Dixi *ad L.* 40. *D.* 13. 14 Sola pretii participatio proclamationem ad libertatem impedit: at non mula ventilio tina participatione, quamvis scientes facta ex æquo, gamen admittitur. vide *l.* 5. §. *de liberal.* 15 *l.* 4. *ff. h. t.* 16 *Meritissimo*, quidam ita legunt. 17 Id est, facta, factione: hoc innuit, Iatronis familiares capros, & munificentia principis capiendi donatos pro præmio, aut fici facto in libertatem proclamare non posse. 20 Vide *l.* 34. *ff. de liberali.* 21 Negatione res fit dubia. 22 Dixi ad *l.* 1. §. 1. §. *tit. prox.* 23 Sequestri, *d. l.* 2. *C. Theod. medio jure. d. l.* 2. Cujac. 12. *observ.* 6.

24 49. *Eclog.* 22. 25 Id est, judiciorum liberalium, status libertatis, ingenuitatis, servitutis. adde *lib.* 3. *tit.* 8. §. *de ordine judic.* 26 Ad hanc legem vide Revard. *lib.* 3. *variar. c.* 20. Goveanus. *lib.* 1. *var. lect. c.* 33. §. 1. 27 Pendente lite status servi, servus de crimine suum adversarium accusare non potest. *ad hic*, & *l.* 4. *J. h. t.* 28 His verbis num necessitas præsidi cognoscendi imponitur? Governus non putat *lib. variar.* 3. quem vide: Revartius quinque 3. *variarum* 20. negat Præsidem vel Praetorem de causa status cognoscere, vide tamen *l.* 5. *J. h. t. l.* 5. §. *ubi causa status. l.* 7. *J. ne de statu defunctorum. l.* 4. *ff. ff ingenuis.* vide etiam quæ notavi ad *l.* 3. *supr. de pedan.* & *ad l.* 1. *supr. de ordine judic.* 29 Liberalis judicia prius decidi oportet, quam criminalia vel civilia, *l.* 2. 3. 4. 6. & 7. *J. h. t. l.* 18. *J. de extrib. l.* 26. *infr. ad L. Jul. de adulter.* 30 Injuria scil. Nam qui per calumniam status controversiam movet, criminaliter accusari potest. *l.* 31. *supr. de liberali.* ut eo pacto sententia expressa tacitam includat. 31 *l.* 7. *ff. de petit. her.* 32 Vide *l.* 1. §. *h. t.* 33 Quotiencumque quis in causa principali vincit, omnia incidentia sunt sopita. *Bald.* adde *l.* 10. *ff. de his quæ sunt sui.* 34 Quoties unus & idem ab uno criminis, ab alio status quæstionem patitur: prius de statu quærendum est quam de crimine: ut licamus utrum ut in ancillam, ab ut in liberam civium constituendum sit. *ad hic*, *Synopf. Basil.* 48. *tit.* 26. πεῖρι διαφόρων, *ex tit.* 22. *c.* 3. 35 Pœna quoties inferenda a qualitate delicti dependet, quæstio status primum decidatur, *ad hic*: aliter enim puniuntur servi, aliter liberi. 36 Vide *l.* 1. *supr. h. t.* 37 Status cui fi controversia, fibi debitum petere non potest. potest enim accidere, ut servus actor pronuncietur: idcoque status causa prius decidendi: Vel ita, Qui sibi deberi dicit, & status controversiam patitur: primo liber declarari debet, ac tum debita libi petere. *Synopf. Basil. d. tit.* 22. *c.* 1. 38 *Raptas*, Cujac. 18. *obf.* 2. eisque verbum legis Aquilæ huic loco optime convenienx, in quo de rebus furto subreptis agitur: de rapto tamen agitur in *l.* 7. *J. c.* 2. Goth. Vide hic Revard. *lib.* 1. *de gregad. cap.* 4. §. 1. 39 Causa status criminalem præcedit. *l.* 1. *J.* 4. §. 1. *h. t.*